



Carolus Burgundus, cognomento Bellator, Princeps inuicta animi magnitudine, insigni specie corporis, opibus a Philippo patre relictis amplissimis, nisi e medio rerum maximarum cursu acerba ui fati fuisset abreptus, plurimum triumphorum gloriam, atque adeo Regum decus domui Burgundiae haud dubie sua uirtute restituisset. Is ab adolescentia Alexandri Macedonis res gestas praecipue admiratus, ad excitandam militaris disciplinae laudem ea tempestate, et animum adiecit, et omne studium contulit, addita ad fortitudinem humanitate, sic, ut uirtutes, specie disparces, miro tamen uel artificio, uel naturae munere coniungeret, nec minus a suis militibus diligeretur, quam metueretur ab hostibus. Praelio illo, quod ad Herriaci montem cum Ludouico Rege XI. commisit acerrimum, Ducis pariter, ac militis officio praeclare fungens, deuictum Regem eo adiecit, ut foederis, cum Philippo patre apud Atrebatibus icti, capita, malitiosa fraude ad eam diem elusa exsequi omnino cogeretur. Sedis Apostolicae dignitatem rerum omnium antiquissimam habuit; et omnes ad eam amplificandam curas, cogitationesque suas contulit; probitatem, et clementiam ita coluit, ut omnibus suis uictorijs poenam in eos capitalem constitueret, qui uim, iniuriamque, sexui femini no inferrent; ipse continentiae obseruator, et custos, ita diligens, ut in illius uirtutibus haec fere primum sibi locum uindiceret: cum praesertim semper fuerit difficilis, longeque praestantius, in magna potestate sibi potius, quam alijs, imperare, et, ut Princeps erat animi apertus, alienus ab omni fraude, ac dolo: ita iustitiae obseruantissimus liberalitatis, et beneficentiae laude, uel omnium princeps, uel certe nemini secundus, intrepidi animi constantia, nimis suorum fiducia ad Nanceium, mortem illi preproperam attulit: quem tamen ut optimi, ac sapientissimi Principis, ita strenui Ducis insigni gloria posteritas omnis ornabit.

Oijt anno salutis M. CD. LXXVI. Aetat. XLIII. Maria, ex Elisa Borbonensi nata, unica relicta herede: quae postea Dno Imperatori Maximiliano Austriaco nupsit.